Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Deinde in serie Abbatum de Kirsternelde a eodem Jongelino ponitur 1. Anshelmus, electus anno 1262. fratribus adhuc existentibus in Olching, unde sequenti an. 1263. in vigilia Assumptionis B. M. Virginis in hunc locum venerunt, et signat anno septimo. Vid. etiam Idea Congregationis sup. Germ. Sartorius Cisterc. germ. fol. 26.

44) Bruschius Catal. Epp. Augusst. n. 39. Sybotho Baro a Gundelfingen, eligitur in Praesulem Augustanum anno Christianae redemptionis 1227, profuit summa cum laude ac nobilissime annis viginti quinque: fuit Episcopus eximia virtute, et vitae integritate praeditus. Transtulit monialium Cisterciensis instituti collegium ex oppidulo Birchlicum in amoenissimum locum, in quo Lycus influit in Danubium: appellans novum illud Monasterium Schonenfeldum: id factum est anno Domini 1241. Resignavit libere Episcopatum Augustanum, Canonicorum senatui cum summa gratiarum actione: anno Domini 1252: et in Casariense monasterium, in quo fratrem habebat Henricum Baronem a Gundelfingen, esse Religionis ergo conferens; in eo decem adhuc annis, nec se monastica induens, sub Bernhardini instituti professione uixit. Obiit anno Christi Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, ipsa die assumptionis, Beatae uirginis Mariae, sepelitur in choro Casariensis monasterii: sub Wolwino novo eius loci Abbate. Henriques Menol. Cisterc. ad 26. Aug. Augustae Vindelicorum beatus Sibotus Episcopus, qui post quam per aliquot annos Christi oues caste, et caelestis sapientia verbis et sancte vitae exemplis, vt verus pastor pauisset, vt decet sibi vacare, ex potentissimo Principe, et magno urbis Antistite, humilis Monachus in Casariensi Cenobio effectus est, vbi in magna pietate vitam finiuit. Addit que in nobis: Haec omnes, qui de hoc sancto viro loquuntur, expresse testantur. vnum excipias Munsterum, qui in sua Cosmographia verius sibi haec habet: „Siboto vero Episcopus ad „imitationem antecessoris sui Crucesignatus, in terram sanc„tam adversus infideles profectus, in itinere naturae debitum „solvit.„ Sic autor hic ait illum obiisse anno 1229. --- Hujus sancti viri meminerunt Arnoldus de Wion in ligno vitae, Philippus Seguinus in Catalogo Episcoporum, qui celebris dignitatibus nostrum institutum professi sunt. Corb. Kammus Hierarch. Aug. p. I, c. 6, de B. Sibothone paucis agit, ad ubi infine: ad immortalem vitam migravit, non in itinere Hierosolymitano (cui Munstero et Sassero placet) cruce signatus, sed Monachus in dicto Monasterio Casarensi enutritus, anno 1262. die 15 Augusti, et in choro eiusdem Monasterii sepultus. Adiit Episcopatum 1227. Resiuit 25. Resignavit 1252.

45) Raynaldus Annal. eccl. ad an. 1263 a § 64 ad finem: et ad an. 1264 § 1 et 2, ubi recitat literas Urbani IV ad Reginaldum

1) Ad hunc annum 1262 addenda sunt Urbani IV privilegia Ordini Cist. recens concessa. I. ut monachi Cistercienses a foro seculi conventionis immunes existant, nullique liceat in eos vel eorum monasteria excommunicationis, suspensionis, aut interdictionis sententias promulgare; quae si promulgentur, irrita sint et inanes. Datum Viterbii tertio Nonas Maji, Pontificatus nostri anno primo. II. ut omnes Ordinis Cisterciensis gaudeant privilegio et indulgentiis eidem Ordini ab Apostolica sede concessis. Datum Viterbii sexto Nonas Maji, Pontificatus nostri anno primo. III. ut tempore generalis interdicti monachi Cisterienses, divina officia non facient habeant, januis clausis et submissa voce, sed apertis januis et alta voce solemniter possint celebrare. Datum Viterbii V. Idus Junii, Pontificatus nostri anno primo.